

Ob. 1288.11

1883/84. W.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXIII
USQUE AD DIEM XV. MARTII ANNI MDCCCLXXXIV

INSTITUENDARUM.

PRAECEDUNT PROF. DR. WILHELMI WEISSBRODT MISCELLANEA
EPIGRAPHICA, NUMISMATICA, GRAMMATICA.

BRUNSBURGAE, 1883.

TYPIS HEYNEANIS.



INDEX LECTIUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

Bibliothek
des
Coppernicus-Vereins
zu THORN

1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
 CIVIBUS SUIS
S.

Miscellanea epigraphica, numismatica, grammatica.

I.

Juliae Augustae imperatoris Alexandri Severi matris cognomen in nummis latine inscriptis AE diphthongum habet; legitur IVLIA MAMAEA AVGVSTA apud Eckhelium *D. N.* VII 280 E, 287 A—C, item apud Henricum Cohen, *médailles impériales* IV p. 68 sqq. n. 1—14, 16—20; p. 77 sqq. n. 1—79.

In lapidibus autem, si Corporis Inscriptionum ceterarumque collectionum indicibus fidem habemus, idem nomen plerumque una E vocali, rarissime AE diphthongo scribitur. MAMEA indices exhibent C. II. p. 765; III. p. 1117 ter; VIII. p. 1048; Mommseni *Inscr. R. Neap.* p. 470; syllogae ab Orellio et Henzeno editae III. p. 75 bis; Wilmanns *Exempl. II.* p. 555; MAMMEA geminata consonante refertur C. II. p. 765; VII. 333; Henzeni *Syll.* p. 76; denique MAMAEA diphthongo AE et simplice M littera C. II. p. 765.

De nummorum igitur et lapidum inscriptorum discrepantia satis constare videtur.

1) Quae quomodo explicanda sit ut videamus, conferamus quaeso inscriptiones Africanas non ad Mamaeam quidem neque Mameam, sed ad Servaeos quosdam pertinentes tres C. VIII 236—38, quarum eadem teste Gustavo Wilmanns sunt litterae, saeculi fere tertii ineuntis.

| N. 237. | N. 238. | N. 236. |
|-----------------|------------------------------|--|
| SERVEAE | SERVEAE · FI <i>sic</i> | FL STATIANIL |
| NOVELLAE | STATIANILLAE | LAE · C · M · F · |
| RVFINAE | VALERIANAE | AVIAE · AD EXEM |
| POTITIANAE | C · q*) | PLVM PIISSIMÆ |
| ⁵ CF | ⁵ S E R V A E I I | ⁵ L · S E R V A E V S A M I |
| SERVAEII | EVGENIVS ET VA | CVS POTITIA |
| EVGENIVSET | GVLVS LIBB | NVS · V · C · NEPOS |
| VAGVLVS | | |
| LIBB | | |

*) Litteram P retrogradam, quae puellam significat, typhetha meus exprimere non potest.

Inscriptionem numero 236 insignitam Guérinius, *vogage archéologique dans la régence de Tunis* I. p. 384 descriperat, N. 237 complures; contulit utramque Wilmannsius, qui solus N. 238 descripsit. Interpretatur Wilmannsius: *Serveae Novellae Rufinae Potitianaе clarissimae feminae Servaei duo Eugenius et Vagulus liberti*. — *Serveae filiae Statianillae Valerianaе clarissimae puellae Servaei duo Eugenius et Vagulus liberti*; p. 1014 Mommsenus illud FI emendat: *FLavia*. — Denique N. 236 Wilmanns: *Flaviae Statianillae clarissimae memoriae feminae aviae ad exemplum piissimae L. Servaeus Amicus Potitianus vir clarissimus nepos*. Nominativi statuuntur p. 1014 SERVAEVS SERVEA, diphthongo alter, alter E vocali perscriptus.

Easdem inscriptiones tractant Carolus Guil. Moeller in libello qui inscribitur *Titulorum Africanorum orthographia*. *Gryphiswaldiae MDCCCLXXV* p. 13 et 25, Maximilianus Hoffmann in libello qui inscribitur *Index grammaticus ad Africae provinciarum Tripolitanae Byzacenaе Proconsularis titulos Latinos*. *Argentorati MDCCCLXXVIII* p. 30.

Ille p. 13 in scriptura quae est *Servaeus* hoc *ae* pro *e* correpta positum censet, ut in *plataeas*, Huebnerique citat quaestiones onomatologicas Latinas p. 22, ubi nomina in *aeus* et *eus* desinentia aliquot collecta sunt, in his SERVEA I. R. N. 3435; p. 25 Moellerus in *Serveae* nomine dicit *e* pro *i* scriptum ac tamquam similia memorat *Domitianus, encola, poteus*. Hoffmannus vero p. 30 in *Serveae* hoc *e* pro *ae* scriptum putat, ut in *scenicus, prefectus, adherens, Cecilius*, monetque in *iisdem titulis utramque formam apparere, ita tamen inter se differre, ut forma per AE scripta masculina sit, per e scripta feminina; quod tamen, ait, haud scio an casui tribueris*.

Equidem neque Moellero neque Hoffmanno assentior. Apparet, ni fallor, eum, qui has inscriptiones concepit, id operam dedisse, ut iteratam AE diphthongum, nulla consonante interiecta male sonantem, vitaret. Non dubito quin casu recto clarissima illa femina et clarissima puella SERVAEA NOVELLA et SERVAEA FLAVIA STATIANILLA nominatae fuerint. Nihil enim his titulis in honorem mulierum senatorii ordinis positus inest, cur neglegentiae sive casui illud E tribuere possis; accuratissime hae tres inscriptiones conscriptae atque incisae sunt.

Iam vero ad nummos et lapides eos, unde profecti sumus, revertamur. Eadem me iudice in utroque genere ratio grammatica obtinuit. Nimirum nummi plus nonaginta sine ulla exceptione nomen illud primo casu efferunt IVLIA MAMAEA AVGVSTA, lapides contra, ut qui dedicationem aliquam indicent, aequae constanter genetivo vel dativo. Male sonabat MAMAEAE, idecirco prior diphthongus attenuata est. Enotavi in nostra librorum epigraphicorum inopia haec:

C. II. 3413: *Iuliae Avitae Mameae Aug(ustae) ... matri senatus et patriae*. Descripsit Huebnerus Carthagine Nova.

III. 798: *Iuliae Mameae Augustae matri sanctissimi imp. Caes(aris) ex quaestura sua dedicante (Ia)sdio Domitiano*. Descripsit Theodorus Mommsenus Alsó-Ilosvae in Dacia. Exhibet Neigebaur in *Bullettino dell'istituto* 1848 p. 188, qui *Mammeae* geminata liquida dat. De ceteris scripturis consentit cum Mommseno.

III. 3427: *ob salutem et reditum d(omini) n(ostri) ... et Iuliae Mameae Augustae*. Contulit Mommsenus Pestini in museo. Provenit titulus ex Pannonia inferiore.

III. 3639: *Iuliae Mameae Aug. matri d. n. invicti imp. Severi Alexandri ...* Contulit Mommsenus Pestini in museo. Provenit item ex Pannonia inferiore.

VI. 13. *Pro salute imp. Caes. M. Aur. Sev. Alx. ... et Iul. Mameae Baevius Respectus, Aedius Verecundus, L. Maesius Quintianus*. Descripsit Romae et edidit Henzenus.

VIII. 2620: *I(ovi) o(ptimo) m(aximo) conservatori imp. Caes. M. Aureli Severi Alexandri ... et Iuliae Mameae ... totiusque domus divinae L. Marius Crescentianus q. aedil.* Contulit Wilmannsius Lambaesi in provincia Numidia. Apud Leonem Renier, *inscriptions Romaines de l'Algérie* n. 1406, Creully nomen Augustae plane deletum esse contendere videtur; Wilmannsius reliquias litterarum agnovit.

Inscriptio basis cuiusdam marmoreae Romae a militibus praetorianis dedicatae C. VI. 2832 ex parte periit; Henzeni supplementa minoribus litteris dedi: pro salute imp. caesaris m. aur. severi alexandri aug. et *Iuliae maesae aug aviae aug et Iuliae Mameae aug.* Descripsit Manius, contulit Henzenus.

I. R. N. 1061: *Iuliae Mameae Aug.* Ubi Mommsenus haec adnotat: *Affertur a Vignolio Mur. Giust. Reali. Lacunam non indicant Vign. Reale. MAMEAE Reale, MAMMEAE Vign.*

Orellius n. 955: *Iuliae Mameae Aug. matris imp. Caes. ...* Extat Tyndari in Sicilia. Henzenus syllogae Orellianae III. p. 101 hanc lectionem non corrigit, sed *Bullett.* 1845 p. 62 MAMMAEAE scribit additque: *copiata dal sig. dott. Stephani.* Quid re vera extet, Corpus mox docebit. *)

In omnibus quos adhuc enumeravi titulis id premendum est, quod et terminationes recte expressae sunt *Iuliae, Avitae, Augustae, patriae, divinae*, et in mediis vocabulis *Caesaris, Baevius, Maevius, quaestura, aedilis* diphthongus integra est.

Henzenus syllogae Orellianae III. 6523: *Caesari et Iulie (sic) Mameae.* Narrat se in aedibus episcopalibus Portuensibus exscripsisse. Quia neglegenter *Iulie* incisum est, fatendum erit in hac inscriptione etiam nudam E vocalem nominis Augustae levioris esse momenti. — Ut ad geminatae consonantis exempla transeamus:

C. II. 3393: *Iuliae Mammeae ... matri imp. Caesaris.* Exhibent Accursius, alii. Nominis, de quo nobis agitur, nulla est varietas lectionis. Hispanicae inscriptioni addamus Britannicam.

C. VII. 319: *Deabus matribus tramarinis et n(umini) ... Iul. Mammeae.* Ex Horsleyo transcripsit Huebnerus: *Litterae dicuntur esse clarae lectioque omnino certa.*

Privatarum mulierum nomina habes haec:

Ephem. epigraph. IV. p. 119: *D. m. Saufeiae Mameae* inter Dalmatinas. Codex Opiterginus: *Mameae* altera M super scripta, Gliubavaz: *Manmeae.* Videtur *Mammeae* fuisse.

C. II. 3700: *Flaviae Paulinae Flaviae Mammeae filiae Flavii Paulinus pater et Flavii Paulinus et Macrinus filii matri karissimae.* Est Tarraconensis titulus, a compluribus viris doctis descriptus.

Omnibus his locis simplex E vocalis certa videtur. Consulto enim omnes adhuc praetermisi titulos, e quibus nomen Augustae tam diligenter est erasum, ut iam nulla harum litterarum vestigia deprehendantur neque de alterutra scriptura quidquam coniectare liceat, e. g. *Ephem. epigraph.* II. n. 355, ubi Mommsenus verba deleta sic restituit: *et iuliae mamaeae matri.* Nam perinde ac viginti litterae, potest ut decem et novem ibi fuerint. Ut vero viginti fuerint: potest MAMMEAE fuisse, duplici consonante.

*) Haec postquam typis mandata sunt, affertur mihi Corporis vol. X. — Mommsenus, qui Panormi in museo titulum recognovit, sub n. 7478 Stephani lectionem repetit. Cum vero verbo *matris*, cuius loco *matri* poscis, voculam *sic* addat ac de Augustae nomine, quamquam priores editores de eius scriptura non consentiunt, taceat, scrupulus mihi nondum exemptus est

Diphthongum nulli dubitationi obnoxiam semel observavi C. II. 3733:

IVLIAE · MAMAE (in fine versus)

AE · AVG · MATRI

Descripsit in Hispania Huebnerus.

Suspitionem igitur in lectionem non commoveo, sed venit mihi in mentem eorum, quae Ritschelius affirmavit opusc. IV. p. VII. 3: *Keine einzige theoretische Schreibung ist mit absoluter Consequenz durchgeführt auf den Inschriften, aber fast jede in für die Erkenntniss der Thatsache hinlänglichen Belegen. Keine Schlüsse also ex silentio, aus der Nichtbefolgung eines in einer gegebenen Periode Vorschriftsmässigen.*

Simile quid atque in MAMAEA MAMEAE haud scio an in aliis nominibus et vocabulis acciderit.

C. II. 179: *Matri deum mag(nae) Ideae.* Titulus Olisiponensis, quem Huebnerus descripsit. Consules nominantur anni p. C. n. 108.

C. V. 5862: .. *sacerd. matr(is) magn(ae) deum Ideae.* Inscriptio Mediolaniensis, quam saeculo XVI Cicereius descripsit.

In colonia Aelia Augusta Laribus (Lorbus) provinciae Proconsularis Africae in lapide inserto moenibus aetatis Byzantinae legitur: (matri) *deum Aug(ustae) magnae Ideae* (C. VIII. 1776). Contulit Wilmanns. Quae Guérin, voyage archéologique II. p. 78. dat: MAGNA ET DEA, apparet eum male legisse.

C. VIII. 5524: *Terrae matr(i) Aere Curae matri Deum magnae Ideae.* In provincia Numidia Thibili reperta, est Parisiis in museo publico. Contulit Wilmanns; consentit Rénier, inscr. Rom. de l'Algérie n. 2579.

Ad eandem enuntiandi scribendique rationem fortasse referri posse videtur IATROMEAE vocabulum, quod in duabus inscriptionibus observavi, siquidem *ιατρομαία*, latine dictum, per se *ae* diphthongum haberet:

C. VI. 9477: *D. m. Valeriae Berecundae iatromeae regionis suae primae . . . Valeria Bitalis filia matri dulcissimae et P. Gellius Bitatio coiugi sanctissimae . . . et Iuliae Chreste sorori . . . quem vice filiae attendo.*

9478: *D. m. Valiae Calliste iatromeae Caecilius Lusimachus coiugi suae fec.*

Quod *Chreste* et *Calliste* dandi casu scriptum est, ratiocinationi meae non obstat; eodem enim modo sexcenties graeca a latinis nominibus distinguuntur, ut illa graece in *es* et *e*, haec latine in iisdem inscriptionibus in *ae* cadant. Ne vulgo quidem atque infimae sortis hominibus haec declinationis norma ignota fuit; rarissime, si ingentis numeri nominum rationem habes, imperatorum aetate graeca nomina latine flexa sunt.

2) Aliter se habet C. VIII. 6955: *Dis deabusque, matri deum magnae Idaee* (sic). Desumpta est ex Delamarii libro *Exploration de l'Algérie*; Renierium *Idaeae* (n. 1894) male transcripsisse Wilmanns testatur.

Ergo non priorem, sed alteram diphthongum attenuarunt. Eandem in partem accipio scripturas C. VI. 499:

Matri deum magnae Idaee summae parenti Hermae . . . Clodius Hermogenianus Caesarius v(ir) c(larissimus) procons. Africae praefec. urbis Romae . . . diis animae suae mentisque custodibus aram dicavit D. n. Gratiano Aug. ter et . . . Aequitio. cons. (p. C. 374). Henzenus dedit ex apographis Grimaldii et Papenbrochii; duos alios citat auctores,

qui *Idaeae*, duos qui *Idaeae* scribant. Hi videntur correxisse potius quam rettulisse, quae legerant.

Incerta mihi videtur lectio C. VI. 511:

M·D·M·IDÆAE. Nam „quo tempore monumentum descriptum est, pars eius superior valde iam corrosa erat, ita ut ... Budaeus et Castellinius vv. 1—10 omitterent“.

Neque satis de numero litterarum constat C. VIII. 8656:

M DEVM m IDaeaE, quem titulum admodum detritum dicit Mommsenus; addit contulisse Wilmansium; Renier sub n. 3463 ex apographo Duboysii praeter litteras M DEVM, quas vacuum spatium sequitur, et ID, post quas item spatium reliquit, solam I dedit. Est in Mauretania Sitifensi.

Solus Renier (n. 175) in provincia Numidia descripsit titulum, quem C. VIII. 2633 repetitum habemus: *magnae Idaeae*, in quo nomen deae duplicis diphthongi est.

Quae tamen saepius invenitur, velut:

C. VI. 2183: *C. Camerius Crescens archigallus matris deum magnae Idaeae*.

Descripsit Henzenus in museo Vaticano.

Eodem loco, quo *Idaeae* scriptura, est mihi *Bassaeae* C. VI. 13241:

Somno aeternali T. Aurelius Stephanus sibi vobis fecit et Secundae coniugi suae sanctissimae et filis suis et cognatis Bassaeae Manliae Secundae filiae dulcissimae.
Henzenus descripsit et contulit.

Eodem modo explicari potest VI. 11692:

D. m. Annae Tycheni et P. Annaeo Annaea Prepusa. Descripsit Bormannus.

3) Contractam putaverim formam *Annae* VI. 11682:

D. m. Annae Blasteni ... coniugi quae qua vivit ...
et 11684: *Annae Fortunate*.

4) Contrariam scripturis *Idaeae*, *Bassaeae* viam iniiit, qui C. VI. 512 consignavit litteris vel incidit: *Ceionius Rufus ... ex vicario Asiae, Ceioni Rufi ex prefecto ... et Cecine Lolliane clarissime et illustris femin(e) deae Isidis sacerdotis filius*. Est anni p. C. 390.

Scriptor vulgari eius aetatis consuetudine tractus *ae* terminationem praeter unum *deae* vocabulum, pro quo *dee* scribere noluit, ignorat; alii ne binas quidem *e* vocales aspernati sunt:

C. VII. 291 et 750 *dee*.

C. VI. 10159 ... *Valentines filias mees*, i. e. *filiae meae*, vulgari modo flexum; ibidem *ora pro hora*.

VIII. 9013: *memoriae aeternae ... con(iugis) mee*.

III. 568: *moderationi mee* in epistula Decimii Secundini proconsulis, quarti, ut videtur, saeculi.

V. 4410: *D. m. Clodiae Achilleae sive Cyrile, quae vivit ... diaes*.

Eandem negligentiam de vulgo scriptorum testatur

C. IV. 1684: Pompeianus titulus, qui habet pronominiis, quod est *mea*, dandi casum *maeae*; idem neglecta geminatione consonantium *sucuras*; etiam Fundanus C. X. 6271 habet *maeae*, idem *coiugi*.

Item VI. 2242: *principi sacerdotium daeae Caelestis*.

Quodsi demonstravisse videor, nonnullos scriptores duplicem diphthongum devitavisse, minime tamen contenderim, generaliore aliquam eiusmodi normam grammaticorum extitisse; immo accurate

multos illud *aeae* expressisse haud mirabitur, qui reputaverit, quam acriter inde a Terentii Varronis temporibus de analogia et anomalia certatum sit. Ut a notissimo nomine incipiam,

Poppaeae Aug(ustae) est in actis fratrum Arvalium anni 63 VI 2043 I. 20 II. 11

Taurio quidam fuit opsonator eiusdem *Poppaeae Aug.* VI. 8946;

Argenne Poppaeae Augustae Augusti liberta memoratur I. R. N. 3515.

Poppaeae Trophime dandi cosus C. VI. 6984.

Sed C. VI. 7638 *Onesiphorus Iuli Philetaeri ser(vus) fecit Poppeae Agrippinae matri optimae.*

Annaeae Saturnina et Iuniana est nominat. plur. C. VI. 11677; eae titulum dedicant dis manibus *L. Annaei Nychi*. Singularis numeri est *Annaeae* VI. 11678; 11681, nisi quod particula lapidis, quae *e* finalem continebat, deleta est; 11683, 85, 88; V. 1144; 7035 bis; 7593;

Avaeae I. R. N. 5777;

Gnaeae Seiae Herenniae Sallustiae Barbiae Orbiana C. II. 3734; coniux fuit Alexandri Severi.

Horaeae C. V. 12513; X. 2651 Mommsenus, ubi *LICINIAE HORAFAE* traditur.

Melissaeae X. 1009; cf. nominat. *Melissaea* ibidem n. 1010 et *Melissea* 1011.

Lethaeae sorores dicuntur in carmine I. R. N. 7144.

Quomodo C. III. 1842 *Annea* casus rectus et *Anneae* obliquus coniunguntur, ad casum rectum *Annea*, qui est VI. 11687, etiam *Anneae* obliquum VI. 11686 referemus.

Similiter variantur *Appaeae* et *Appeae*; illud est C. V. 2564—66, hoc VI. 12178.

Adventui Aug(usti) Iudaeae est in nummis Hadriani (Cohen II.² n. 51—58).

Sed ea a qua exorsus sum quaestio absolvi non potest, nisi quis et inscriptiones, quae eo pertinent, omnes et libros scriptos percenset omniumque nominum in *aeus*, *aea*, *eus*, *ea* et nominativum sing. et genetivum dativumque casum et nominativum plur., si qui est, componit. De Mameae nomine ex libris manu scriptis vix aliud quidquam eruet, nisi hoc, eos etiam nominativo saepe simplicem vocalem tribuere; cetera autem nomina apparet in universum hac regula teneri, ut *-aios*, *-aius*, *-aia* antiquiores terminationes excipiantur a recentioribus *-aeus*, *-aea*, his autem plerumque non *-eus*, *-ea* succedant, sed multo saepius *-eius*, *-eia*. Ex iis nominibus, quae collegit Ritschellius *de sepulcro Furiorum Tusculano* = *opusc.* IV. 262, huc pertinent *Anaeus Aneius*, *Annaeus Anneius*, *Antaeus Anteius*, *Appaeus Appeius*, *Luccaeus Lucceius*, *Poppaeus Poppeius*, *Tettaeus Tetteius*, *Vellaeus Velleius*. Quibus non habeo quae addam nisi ex gentiliciis *Callaeus Calleius*, ex praenominibus *Gnaeus Gneius*. Ille *Callaeus* nominatur C. X. 5820; *Callaea* II. 4990 legendum videtur Huebnero p. 719, ubi numerus corrigendus est; *Calleius* est X 5870. A *Gnaivos*, cuius ablativus *Gnaivod* servatus est in Scipionis Barbati elogio, et *Gnaiva* extrita *v* et conversa *ai* syllaba in *ae* venerunt *Gnaeus*, *Gnaea*, *Gneius*, *Gneia*. Nam *Gneus*, *Gnea* vel *Cneus*, *Cnea* tam raro inveniuntur, ut in censum vix veniant.

Quae necessitudo inter *-aeus*, *-aea*, et *-eius*, *-eia* intercedat, nemo, quod sciam, exposuit.

Mihi, si currente lingua paullo commodius enuntietur, inter *e* longam acutam et vocalem subsequentem sua sponte *j* consonans gigni videtur, cum *ae* et vocalis inferior per se facilius coniungantur; nam si diphthongum *ae* effers, os tam est apertum, ut transitus ad quamlibet vocalem pateat. Ita etiam explicandam esse duco scripturam *Mammeiae* C. VI. 10625.

Brevem vocalem sequitur *j* I. R. N. 5006: *deia Libera**)

*) C. VI 2808 est *h* inserta: *dehe sancte Iunoni*. — C. VII 140 *Devo Nodenti* non cum Huebnero (p. 344) pro *divo* accipio, sed *de(v)o* interpretor. Cf. III. 3476: *invicto devo* sc. Soli, ut multis locis *invicto deo* legitur.

II.

Pronominis *is, ea, id* liberae reipublicae monumenta epigraphica dativi sing., nominativi plur., dativi et ablativi plur. has praebent formas; numeri appositi indicant, quoties unaquaeque extet*).

| | Dat. singul. | Nominat pl. | Dat. abl. plur. |
|--|---------------------|----------------------------------|--------------------------------|
| Titulus Venusinus: IO, OM terminatus | | IEI (S?) (1) Momms. n. 185 | |
| Senatus cons. de Bacch. anni 568 | | EEIS (1) | EEIS (2) |
| Senatus cons. de Tiburt. saec. VI extremi: | | | EIEIS (2) |
| Lex Bantina annorum 621-636 | EI (2) | EIS (2) | |
| Lex repetundarum annorum 631-632 | EIEI (7) EI (10) | EIS (4) | EIS (8) |
| Sent. Minuciorum anni 637. | | EVS vitio pro EIS (1) | EIS (2) |
| Lex agraria anni 643 | EI (17) E notam (1) | EI (4) | EIS (10) E (pro EIS) notam (1) |
| Lex operis Puteolan. anni 649 | | IEIS (1) Ritschl LXVI Momms. 577 | |
| Lex pagi Herculanei 660 | EI (1) | Ritschl LXV Momms. 571 | |
| Lex Cornelia anni 673 | EI (3) | EI (4) IEI (1) | EIS (13) |
| Senatuscons. de Aesclepiade anni 676 | | | EIS (7) E (pro EIS) notam (3) |
| Lex Anton. de Thermensibus anni 683 | | IEI (5) EI (1) | IEIS (12) |
| Dedicatio Furfensis anni 696 | | | EIS (1) R. LXXXII M. 603 |
| Lamella Clusina | EI (1) | Mommsen 209 | |
| Lex Rubria anni 705 | IEI (2) EI (5) | IEI (1) | IEIS (4) E (is) notam (2) |
| Lex Iulia anni 709 | EI (7) | IEI (1) EI (5) | EIS (14) IEIS (9) |
| Monumentum Canuleiorum circa a. 712 | | | IEIS (1) R. LXXVII, M. 624 |
| Titulus Horatii Balbi | EI (1) | Mommsen n. 1418 | |

Eae quas proposui formae propterea aliquid difficultatis habent, quod litterae EI sociatae per se triplicem explicationem admittunt; potest enim esse vox inter *e* et *i* media, quod est *i pingue* Lucilli, aptissime a Theodoro Mommseno in libro *die unteritalischen Dialekte*, ubi Oscorum eandem vocalem significat, sic expressum: *i*; possunt duae vocales esse *e-i* duaeque syllabae; possunt denique *ej* pronuntari. Nam diphthongum *ei* synizesi effectam, quae poetarum propria est, a legibus sua sponte liquet alienam esse.

Tu dativum sing. EIEI lege *ej^e*, EI *e-i*, IEI *i-i*;

nominativum plur. EEIS *e-is*, EIS *e-is*; IEIS, IEI *i-is*, *i-i*, EI *e-i*;

dativum et abl. plur. EEIS *e-is*, EIEIS *ej^es*, EIS *e-is*, IEIS *i-is*.

1) Dativum EIEI non *ii* legendum esse iam ex eo liquet, quod in nullo alio verbo antiqua latinitas permisit, ut pares vocales se exciperent. Accedit similitudo pronomini relativi. Nam *quouis, eius* a genetivis *unius, solius, totius* cet. non differunt; *i* autem vocalis inter alias vocales posita in consonantem *j* conversa est, ut in *iis*, quae antiquior latinitas e graeco sermone ascivit: *Aiax, Troia, Maia*. Itaque dativum QVOIEI lege *quoj^e*. Consentit Plauti, Terentii, Lucretii mensura *e i*, quos locos collegit Ritschellius in indice schol. Bonnens. 1841—42.

*) Huebneri numeros C. I. p. 582 passim corrigendos esse in *Specimine grammatico Confluent.* 1869 p. 30 demonstravi.

Forma EIEI duobus modis mutata est. Nam *j* consonans cum inferiore syllaba *i* ad *i tenue* vergente paene unam vocalem effecit *i*, ut *conieciant coniciant*. — Sic etiam VERTVLEIEIS (Ritschl tab. LII A Mommsen n. 1175) est nominativus pluralis nominis VERTVLEIVS, legendus vero est *Vertulejis*. Contra I. R. N. n. 1909 FREIS pluralis est nominis, cuius singularis est FREIVS; ibidem FILIEI, i. e. *filii*; ergo pluralis *Fre-jis* vel *Fre-js* pronuntiabitur. Cf. Lachmanni comment. in Lucretium p. 152. Similia sunt *Flavos Flaus* in nummis.

Potuit etiam illa *j* consonans cum superiore vocali ad *i pingue* labente in unam vocalem conflari: *ej^o i^o* IEI, ut *Canulejus Canulius, conflocont confluent*. Terminationem enim hanc *ius* origine ab *ejus* non esse diversam Ritschelius demonstravit (*de sep. Furiorum* = *Opusc.* IV. 262).

2) Nominativus pluralis EEIS item utraque syllaba attenuari potuit. Prioris enim vocalis debilitatio effecit IEIS *i-is*, alterius EIS *e-is*; evanescente sibilante subnata sunt EI, IEI i. e. *e-i*, *i-i*.

3) Cum dativi et ablativi EEIS, EIS, IEIS, i. e. *e-is*, *e-is*, *i-is* explicatione iam non opus esse arbitrer, unius senatusconsulti de Tiburtibus scriptura EIEIS v. v. 11 et 12 minus plana videtur. Prior I littera aut ad similitudinem singularis temere addita est, aut *j* phonetica, id quod probabilius esse duco, est inserta.

Quod pronomem demonstrativum prius, quam relativum, ad *i tenue* transiit, id nisi fallor ex duarum *E* taedio repetendum est. Nam *i pingue* EI scribere „est incommodum aliquando, si in iis, quae proximam ab ultima litteram E habebunt, E gemina utemur, qualia sunt haec *aurei, argentei* et his similia“. (Quintil. institut. orat. I. 7. 15.)

Sane ista, quam reprehendit Quintilianus, scriptura etiam post senatusconsulti de Bacchanalibus aetatem, e quo supra attuli *eeis*, non prorsus desideratur, velut I. R. N. 6149: *Q. C. Poppaei Q. F.*, i. e. *Q. Poppaeus et C. Poppaeus, Quinti filii*. Sed plerumque scribae ab ea se abstinuisse videntur. Nam leges liberae rei publicae genitivum sing. secundae declinationis et dativum sing. tertiae modo in *i*, modi in *ei* finiunt, sed quintae sine ulla exceptione et genitivum et dativum circiter vicies in *i*: *rei, diei*. Cf. C. I. p. 578 et 593.

De monosyllabis pronominis *is* formis disserui in indice schol. 1879—80 p. 20 et 1878—79 demonstravique saepenumero eas cum nominativo plur. masc. et dativo ablativoque plur. omnium generum pronominis *hic* inde a legibus Salpensana Malacitana confusas ac ne legis coloniae Iuliae Genitivae quidem quod hodie extat exemplum imperatorum aetate confectum ab errore liberum esse. Sequitur ut multis scriptorum classicorum locis librariorum peccavisse et peccare editores concedamus. Velut in senatusconsulto, quod Cicero proposuit in extrema oratione Philippica III., Baiterus et Halmius cum omnibus libris scriptis legunt: *senatui placere, uti C. Pansa A. Hirtilius, consules designati, cum magistratum inissent, si eis videretur, primo quoque tempore de his rebus ... referrent*. Vide ne scribendum sit *de iis rebus*. Nam qui loquuntur, *hi* sunt; res autem, quae senatusconsulto subiectae sunt, semper *cae* sunt. Cf. Phil. XIV. 37, ubi idem Cicero senatusconsultum concepit: *ob eas res senatum existimare et iudicare eorum trium imperatorum virtute ... populum Romanum ... liberatum; uti ob eas res bene ... gestas ...*

III.

In *observationibus in senatusconsultum de Bacchanalibus* indici scholarum per hiemem anni 1879—80 habendarum praemissis scripseram pauca, quae paullo post, aere ipso Vindobonae collato, corrigenda esse vidi; vidi etiam nonnulla corrigenda esse, quae viri docti posuerant. Accedit quod in C. X. 104

Theodorus Mommsenus textum, qualem in C. I. 196 dederat, repetiit, interpretatione unius alteriusve loci difficilioris in indice grammatico adiuncta. Idcirco e re esse duxi, hoc commentationi meae addere supplementum.

Religiosissime Ritschelium Mommsenumque de ipsa lectione referre vix opus est testari; sed minuta quaedam eos fugerunt. Vocabuli LATINI v. 7. Mommsenus alteram I ut servatam exhibet, sed nihil superest, aerugo eam absumpsit. Cum vero ductibus inclinatis deleta elementa indicet, v. 9 non „censuere“, sed „censuere“ scribendum est, nam litterae N prima et tertia linea integra est. V. 12 Ritschelium Mommsenusque litteram Q in verbis „neque virum“ habent plenam; sed reapse NEOVE in aere est, Q hoc loco numquam incisa fuit.

Recte editores omnes a M littera nominis MARCIVS v. 1 incipiunt; quam enim Schmuzerus apud Aegyptium litterae Q hastam pingere videtur, ea non conspicitur in aere; unus e clavis, quibus lammina parieti affixa fuit, prope illam litteram punctus erat, et cum extrema parte lamminae etiam littera M tota effracta fuit.

V. 8 in DE litteram D, v. 11 in VELET litteram L cum Schmuzero expresseram; vere testantur Mommsenus et Ritschelium, utramque evanuisse.

Cum in tabulis Aegyptii, Endlicheri, Ritschelii v. 12 praepositio et ablativus in hunc modum PROMAGISTRATVO coniungi viderentur, suspicabar prima haec esse eius copulationis vestigia, quae novissimis liberae reipublicae temporibus et imperatorum aetate latissime serpsit. Sed suo iure Mommsenus illa verba disiuncta dedit. Nam prima litterae M hasta paullo crassior et longior in punctum reapse positum incidit.

Ritschelii suspitio, v. 6 post vocem ADESENT litteras QVOM · E non omissas fuisse, sed postmodum demum obscuratas evanuisse, ipso aere non confirmatur; equidem in re praesenti mihi persuasi scalptorem et hoc loco et v. 5 inter VTR et A consulto lacunam reliquisse. Recte Mommsenus censet aerarium exemplum v. 6 legere nequivisse; idem de VTR A v. 5 statuendum.

Mommsenus C. X. 104: § *signum*, inquit, *ubi cernitur, ad comma denotandum in lapide spatium vacat*. Brunsius vero in omnibus *Fontium iuris Romani antiqui* editionibus capita distincta esse negat; spatia quaedam passim intermissa inconsulto relicta videri. — Hoc vero in unum locum cadit, v. 26, ubi inter TABOLAM et AHENAM scalptor plus septem millesimas metri nostri partes in aere satis levigato sine ratione vacuas reliquit; ceteris autem locis spatia re vera id volunt, quod Mommsenus observavit. Sed locis ab eo denotatis quinque vel sex addamus necesse est; v. 3 inter CENSVERE et NEIQVIS, VELET et SEI, v. 11 inter VELET et NEVE, v. 20 inter VELET et NEVE, v. 19 ante HOMINES quin illud scalptor secutus sit, non dubito; potest dubitari, num NOVNDINVM et SENATVOS v. 23 satis inter se distent. Interstitia non esse aequalia facile vides, neque tamen minus sunt aequalia, quam universa tabulae litteratura. Quod nonnulli loci talibus spatiis carent, excusabimus, cum praesertim exemplum nostrum in agro Teurano ex tabellis Roma missis exceptum sit neque diiudicari possit, utrum aerarius Teuranus an scriba Romanus rem passim neglexerit.

Infra lineolis transversis interstitia, quae in tabula Vindobonensi sunt, indicavi, litteris rectis inscriptionem, inclinatis supplementa atque emendationes.

- 1 Q. Marcius L. f., S(p). Postumius L. f. eos. senatum consolverunt n. Octob. apud
- 2 aedem | Duelonai. Sc(ribendo) arf(uerunt) M. Claudi(us) M. f., L. Valeri(us)
P. f., Q. Minuci(us) C. f. —
- 3 De Bacanalibus, quei foederatei | esent, ita exdeicendum censuere. —

4 Neiquis eorum Bacanal habuise velet. — Sei ques | esent, qui sibi deicerent
 5 necesus ese Bacanal habere, eeis utei ad pr(aetorem) urbanum | Romam
 6 venirent, deque eeis rebus, ubei eorum *verba* audita esent, utei senatus | noster
 decerneret, dum ne minus senatoribus C adesent, *quom* ea res cosoleretur.
 7 | Bacas vir nequis adiese velet ceivis Romanus, neve nominus Latini, neve socium
 8 | quisquam, nisei pr(aetorem) urbanum adiesent isque *de* senatuos sententiad,
 9 dum ne | minus senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousisent.
 Censuere. —
 10 | Sacerdos nequis vir eset. Magister neque vir neque mulier quisquam eset. —
 11 | Neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuise velet. — Neve magi-
 12 stratum | neve pro magistratud neque virum *neque mulierem* quiquam fecise
 13 velet. | — Neve post hac *quisquam* inter sed coniourase *neve* comvovise neve
 14 conspondise | neve conpromesise velet. Neve quisquam fidem inter sed dedise
 15 velet. — | Sacra in *oquoltod* ne quisquam fecise velet. — Neve in poplicod
 16 neve in | preivatod neve exstrad urbem sacra quisquam fecise velet, — nisei
 17 | pr(aetorem) urbanum adieset isque *de* senatuos sententiad, dum ne minus
 18 | senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousisent. Censuere.
 19 20 | — Homines plous V oinuorsei, virei atque mulieres, sacra ne quisquam | fecise velet,
 21 — neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus | arfuise velent, nisei
 22 de pr(aetoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad | scriptum est. —
 23 Haice utei in coventionid exdeicatis ne minus trinum | noundinum, — senatuosque
 24 sententiam utei scientes esetis. — Eorum | sententia ita fuit: sei ques esent,
 25 qui arvorsum ead fecisent, quam suprad | scriptum est, eeis rem capitalem
 26 faciendam censuere. — Atque utei | hoce in tabolam ahenam incederetis, ita
 27 senatus ai quom censuit; | uteique eam figier iubeatis, ubei facilumed gnoscier
 28 potisit. — Atque | utei ea Bacanalia, sei qua sunt, exstrad quam sei quid ibei
 29 sacri est, | ita utei suprad scriptum est, in diebus X, quibus vobeis tabelai datai
 30 erunt, | faciatis utei dismota sient — in agro Teurano.

Puncta in ipsa tabula v. 2 inter BACANALIBVS et QVEI, v. 4 inter DEICERENT et NECESVS nunquam fuerunt; aes ibi non corrosus est; aliis locis aerugo ea extinxit. Temere scalptor, qui num latine scierit incertum est, v. 14 CONPROME · SISE incidit. Mira res; haud scio an in epistula, quam scriba Romae exaraverat, CONPROMEISISE scriptum fuerit. Sed v. 8, ubi Ritschellii tabula ADIE · SENT habere videtur, in lammina punctum non deprehendi, immo scabritiam quandam lamminae parum levigatae.

Probabiliter Mommsenum vv. 9 et 18 pro eo quod in aere est IOVSISENT*) singularem numerum *iouiset* emendationis causa dedisse mihi nondum persuasi; nego aut scribam ullum Romae aut in agro Teurano ullum scalptorem duobus locis, qui novem versuum intervallo inter se distarent, in eadem

*) Ab interpretatione verbi iubendi, quod non *befehlen*, sed *für Recht erklären, genehmigen, erlauben* verteram, in *observationibus in s. c. de Bacch.* p. 7 ad consecutionem vocabulorum *senatus populusque, populus senatusque* definiendam excucurreram. Nam Theodorus Mommsen (*zum Dekret des Aemilius Paullus, Hermes* III. 262—65), Aemilius Huebner (*ibid.* p. 253), Henricus Iordan (*ibid.* p. 459), Otto Hirschfeld (*V.* 298) unum omiserant, quod mihi in ea re gravissimi esse videbatur

formula eodem modo peccare potuisse. Pluralis igitur, quem teneo, numerus mihi videtur praetorem et senatum complecti. Contuleram C. II. 3570 et Guérin, *vogage archéologique* II. n. 490. Addere poteram, hoc loco orationem etiam liberius conformatam videri. Nam in altero enuntiato singulari, altero plurali numero scriptor usus est: *Q. Calvius Rufinus aedilis sumptu suo et T. Aeli.. Anni Litori quondam collegae sui ob honorem aedilitatis... communi pecunia fecerunt... ob cuius statuæ dedicationem idem Rufinus de su(o).. spectaculum pugilum et gymnasium exhibuit.* (C. VIII. 895.) Titulus est anni 239. Ut vero ista variatio ratione non destituta est, numeri etiam C. X. 7845 non ad arbitrium mixti sunt: *(c)olonia Iuli(a) Augusta (U)s(el)lis hospitium fecit cum M. Aristio Balbino Atiniano eum(que) sibi liberis posteris(que) suis patro(num) cooptaverunt.* Tabula patronatus est anni 158 p. G. Primum, ubi universa colonia animo scriptoris observatur, singularem, deinde eo loco, ubi familiarum mentio fit, pluralem adhibet; Calvius Rufinus ille communi pecunia fecerunt, de suo autem exhibuit. Item C. VIII 69 *civitas Gurzensis ex Africa hospitium fecit cum Q. Aufustio C. f. Gal. Macrino praef(ecto) fabr(um) eumque liberos posterosque eius sibi liberis posterisque suis patronum cooptarunt.* Est anni 65 p. C. — In inscr. R. N. 5360 *splendidissimus ordo consentiente populo...*

momenti. Cum enim verbum iubendi ad populum magis pertineat, quam ad senatum, cuius est censere potius quam iubere, consequens inde est, ut ubicunque senatus et populus una iubeant, populi vocabulum verbo iubendi propius collocetur, senatus longius absit. Mommsenus monumenti Ancyranum illud *patriciorum numerum auxi consul quintum iussu populi et senatus* ad ius rettulerat, ego ad zeugma quoddam illius generis publice scribendi. Nam formulam *iniussu populi et senatus* enotaveram ex Cic. Verr. act. II. lib. III. cap. VIII., cap. IV., de off. III. 30. 109, Liv. I. 49, 7, epit. libri LXIV; quinque his locis duos adscribamus orationis in L. Pisonem XX 48 et XXI. 50: *praesidium tu reipublicae, custodiam provinciae iniussu populi Romani senatusque dimisisses? ... in regnum iniussu populi Romani aut senatus accedere ..* Sic Baiterus et Halmius; nonnulli, quos ii enumerant, codices *Romani* utroque loco omittunt; de collocatione verborum consentiunt omnes. Per se etiam liberae reipublicae temporibus senatum priorem locum tenere, populum alterum, vel unum illud Verrinarum orationum caput VIII. lib. III. act. II docet, ubi *senatus ... permiserat populusque Romanus idem iusserat; tu, Cicero in Verrem invehi pergit, iniussu populi ac senatus ... totam Hieronicam legem sustulisti?*

Reliquam quaestionis partem in excursu altero ad *Spicilegium in agro publico populi Romani Brunsb. 1875* tractaveram. Qui cum casu factum sit ut paucissimis illius commentationis exemplis adderetur, summam disputationis hic repetam.

1) In formula veris sacri, altero belli Punici secundo anno voti (Liv. XXII, 10) rogatur in haec verba populus: *.. Si res publica populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum ... servata erit hisce duellis, quod duellum populo Romano cum Carthaginiensi est quaeque duella cum Gallis sunt, .. datum donum duit populis Romanus Quiritium ... Iovi fieri ex qua die senatus populusque iusserit. Si antidea senatus populusque iusserit fieri ac faxitur. ...* De bello contra Antiochum gerendo XXXVI, 1: *precari, quod senatus de novo bello in animo haberet, ut ea res senatui populoque Romano bene atque feliciter eveniret.* Cap. II. in voto populi: *Si duellum, quod cum rege Antiocho sumi populus iussit, id ex sententia senatus populi que Romani confectum erit.* Ergo iam antiquissimis temporibus in formulis quibusdam primum senatus, deinde populi mentio facta est, et senatusconsulta, quae Cicero in orationibus Philippicis proposuit, antiquum morem secuta sunt.

2) Bella primum decernit senatus, deinde iubet populus; cf. Liv. XXXV, 21, 4; IV, 30, 15; VII, 6, 7; VIII, 29, 6; X 12, 3; XXXVIII, 45, 5; 48, 9; XXXXI, 7, 8; XXXXII, 36, 1 cet. Et tamen in vere sacro illo non senatui populoque Romano duellum cum Carthaginiensibus est et duella cum Gallis sunt, quamvis accurate ea singulari et plurali numero distinguantur, sed populo Romano in universum. Externis igitur populis non senatus per se opponitur, sed populus Romanus in universum; senatus non est nisi pars quaedam potior, cuius mentio si adicitur, certe non priore loco collocanda

*offerri censuerunt; ... ordo populusque Corfiniensium ... (in eadem inscriptione) poni censuerunt**). — Quid quod in ipso senatusconsulto v. 23 *senatuos* — *eorum* constructio κατὰ σύνεσιν manifesta est?**) Etiam v. 8 pluralis numerus *adiesent* respicit ad tria, quae enumerata sunt, hominum genera, singularis *adieset* v. 17 in eadem formula ad unum vocabulum *quisquam*.***)

Neque magis Mommsenus, nisi fallor, probavit, quod C. X. p. 1172 cum Huebnero C. I. p. 593 et 601 posuit, in QVIQVAM v. 12 *q* esse loco litterarum *eq*, siquidem hanc in partem intellegenda sunt, quae C. X. p. 1172 leguntur: „c pro eq: quicquam 104 12“ (est senatusconsulti nostri locus): „cf. quicquam 6630.“ Nam in inscriptione 6630 de monumento aliquo cavetur sic: *nec ad heredes O ... quicquam pertineat*. Structura, quam conformat Mommsenus versuum 11—12:

Magister neque vir neque mulier quisquam eset. Neve pecuniam quisquam eorum comoinem habuisse velet neve magistratum, neve pro magistratud neque virum neque mulierem quicquam fecisse velet,

quomodo interpretanda sit, non dispicio. Vix adducor ut credam, Mommsenum Huebnerumque verbis *neve pro magistratud neque virum neque mulierem quicquam fecisse velet* hanc subiecisse sententiam: *neve pro magistratu neque virum neque mulierem quisquam quicquam facere iuberet*, ut *fecisse velet* idem sit atque *imperaret, facere iuberet*. Nam verba *nequis velet* cum infinitivo perfecti temporis

est. Hinc ducendum est, quod VII.31. 4 legimus: *denuntiarent Samnitibus populi Romani senatusque verbis, quamquam senatus tantum consultus est neque quidquam iussit populus*. Et XXIX, 21, 7: *praetor ... Locrensiū contionem habuit atque iis libertatem legesque suas populum Romanum senatumque restituere dixit*. Item in foedere, quod anno 105 ante C. n. Romani cum Astypalaeensibus fecerunt (C. I. G. II. 2485) respondent inter se ὁ δῆμος τῶν Ἀστυπαιαίων v. 23, 31 et ὁ δῆμος τῶν Ῥωμαίων v. 30 et 35; inter se copulata sunt nomina populorum v. 38: τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων καὶ τοῦ δήμου τῶν Ἀστυπαιαίων. Qui igitur verba foederis conceperunt, non poterant quin v. 29, 32, 40 ὁ δῆμος καὶ ἡ βούλη potius quam ἡ βούλη καὶ ὁ δῆμος scriberent. Locrenses vero illi, quibus populus Romanus senatusque libertatem ac leges restituerant, *senatui ac populo Romano gratias egerunt* (Liv. XXIX, 21, 9); senatus honoris legitimi causa populo praepositur. Eodem modo explicanda sunt, quae in Ciceronis proconsulis litteris ad senatum datis leguntur (ad fam. XV. 2, 4): *cum ... adiunxisset salutem eius regis populo senatuique magnae curae esse*; sed Ariobarzanes 1. 5. *gratias egit, quod ei permagnam et perhonorificum videbatur, senatui populoque Romano tantae curae esse salutem suam*.

Eundem igitur in modum explicabimus L. Aemilii Paulli decretum C. II. 5041: *dum populus senatusque Romanus vellet*; Scipio autem in oratione ad milites Liv. XXI, 39, 10—40, 3: *nunc quia ille exercitus ibi rem gerit, ubi eum senatus populusque Romanus voluit*.

Ergo cum de collocatione ista verborum quaerimus, tria haec spectemus necesse est. Primum quoties iubendi verbum scribitur, propius ei populi vocabulum collocatur: *senatus populusque iubent, fit aliquid iussu populi senatusque, iniussu populi senatusque*. Deinde si populus Romanus externo populo opponitur aliis quam iubendi verbis adhibitis, senatus per se alterum, populus priorem locum tenet. Denique si de honore tantum et dignitate agitur, senatus priore loco commemoratur, populus altero.

*) Nullam habet excusationem C. V. 1592 Aquileiensis titulus: *Laurentius VC Palatinus votum cum suis solvit et de donum dei fecerunt*, nisi in primo membro verba *cum suis* loco pluralis esse statuimus et in altero et *ii*, scilicet *Laurentius et sui*, supplemus.

**) Cf. C. X. 5853: *(Huius ob eximiam munificentiam) ... senat(us) statuam publicae ponend(am) censuere* — X 5349: *Cuius tantis beneficiis circa nos comulatis ad perpetuam famam statuam eidem erigendam universus populus Interamnatum censuerunt*.

***) Cf. C. VI. 12649 ... *circa aram libertis libertabusque posterisq. eorum et quibus permiserint hac lege, ut quotiens quis eorum suis coronas ponent et [quotiens quis eorum suis coronas ponent et] aram nostram coronent*. Verba *quotiens* — *ponent* repetuntur; *quis* non a marmorario, sed a scriptore cum plurali coniunctum est. — C. V. 6186. *Siquis post obitum nostrum aliquem corpus intulerint, non effugiant ira Dei*. (Sic.)

coniuncta v. 12 nihil aliud valere possunt, quam per totum senatusconsultum; *neve fecise velet* in oratione obliqua edictorum idem est ac *neve facito* in oratione recta legum.

Titulus citatus non facit ad rem. Nam *nec ... quicquam pertineat* n. 6630 est *nihil pertineat*, ut ibidem: *ad heredes meos nihil pertineat*, cui loco senatusconsulti locus similis non videtur*). Equidem etiamnunc *quiquam* pro *quisquam*, *fecise* pro *creasse* accipio, et aequabilitas syntactica huius scribendi generis mihi persuadet, *magistratum* non a *habuisse* verbo pendere, sed a *fecise*. Quinetiam quod vidi in aere post verba *habuisse velet* spatium quinque millesimarum metri nostri partium vacare, huc facit. Quae cum ita sint, vv. 10—12 etiamnunc sic verto: Magister der Bacchantinnen solle weder irgend ein Mann noch irgend ein Weib sein. Auch solle Niemand eine gemeinschaftliche Kasse derselben haben oder verwalten. Auch solle Niemand weder zum Magistrat noch zum Promagistrat einen Mann oder ein Weib wählen. Nimirum qui magistratum vel pro magistratu Baccharum creaverint, de iis perinde ac de ipsis Baccharum magistratibus supplicium sumetur; eis rem capitalem faciendam censuere.

De vetandi formula *nequis habuisse, fecise, adiese velet* postquam scripserunt Nic. Madvig, *Opusc.* II. 124, Guil. Holtze, *Syntaxis priscorum scriptorum latinorum* II. 80, Henricus Jordan, *Kritische Beiträge zur Geschichte der lateinischen Sprache* 277, exemplis, quae viri docti collegerant, equidem addidi Macrobiū Sat. II. 6. 1, quod edictum aetatis est Ciceronianae, duoque imperatorum aetatis I. R. N. 7031 et C. V. 2090. Postea vero vidi ne nunc quidem rem cum pulvisculo esse excussam. Nam in Iustiniani Digestis ed. Mommsen XXI. 1. 40—42 leguntur haec: *Ulpianus libro secundo ad edictum aedilium curulium ... Deinde aiunt aediles: „ne quis canem, verrem vel minorem aprum, lupum, ursum, pantheram, leonem“*,

Paulus libro secundo ad edictum aedilium curulium. et generaliter „aliudve, quod noceret animal, sive soluta sint, sive alligata, ut contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non possint,

Ulpianus libro secundo ad edictum aedilium curulium. „qua vulgo iter fiet, ita habuisse velit, ut cuiquam nocere damnumve dare possit. si adversus ea factum erit et homo liber ex ea re perierit, solidi ducenti, si nocitum homini libero esse dicetur, quanti bonum aequum iudici videbitur, condemnatur, ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve sit, dupli.“ Nummis igitur ad recentioris aetatis normam computatis formula antiqua ab Ictis retenta est. Librarii iam non intellegebant eam, nam primitiva lectio codicum trium PVU est *habuisset*. Ceterum hoc edictum apparet non unius saeculi esse; de cane et verre ut edicerent, aediles non expectabant pantherarum et leonum adventum. Nam Livius XXXIX, 22 ad annum urbis 568: *Athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit, et venatio data leonum et pantherarum.* Cf. L. Friedlaender, *Ueber Gladiatorenspiele und Thierhetzen zu Rom in der Kaiserzeit*, Mus. Rhenan. X 565. — In Gallia (Aix les Bains) detectus est titulus hic: *in campum hunc pecuarium ... nequis induxisse velit ...* (Buletino dell' Inst. 1869 p. 266).

*) C. III. 1854: „Si pietas prodest quiquam vixisse modeste,
Vos precor, o Man[es, sit] mi[hi] terra levis“.

Mommsenus: *Contuli lapidem antiquum quidem, sed praeter v. 1. 2. 3 et litteras v. 4 QVIQV ... ISSE totum innovatum ab Ereso.* Si *QVIQVAM* antiquitus incisum fuit, incertum est, num dandi casus sit pro *cuiquam*; veri similis est, esse pro *quidquam*. Posses etiam de eo adverbio cogitare, ex quo assumpta negandi particula fit *nequiquam*; de hoc *nequiquam* cf. Lachmannus comment. in Lucretium p. 141.

Accusativus neutrius generis est etiam C. VI. 11357: *sei quicquam sapiunt inferi, ut ossa eius ... bene quiescant!* Descripsit Henzenus. Item VI 9693: *I nunc et quicquam votis melioribus opta!*

Affirmativorum quoque huiusmodi enuntiatorum usus usque ad imperatorum aetatem tenuit. Nam Hadriani temporibus T. Aelius Aug(usti) lib(ertus) sic cavet C. VI. 10791: *quisque hunc monimentum dolo malo donationis causa tradidisse voluerit, compellabitur a pontifices* (pontifices dicit) *poenae nomine* cet. Praesens tempus et aoristum confudit P. Aelius Yginus C. VI. 10724: *hunc monimentum post me quisque vendere vel donasse voluerit, inferet collegio pontificum* ... Idem in formula illa accidisse videtur scriptori tituli C. VI. 10173: *veto autem ne quis velit ... ossua aliena (i)ferre neve quis ausus sit (ali)quem (i)ferre in monimento combus(sisse)ce velit*. Quae uncis inclusi, effracta sunt, sed coniectura a Bormanno probabiliter restituta.

Sciens, scientes cum accusativo coniunctum (v. 23) nullo alio loco inveni. Sed ex adiectivo *memores* accusativus pendet in I. R. N. 5607 in senario:

valete et memores estis pietatem patris,

ubi Mommsenus: *Lachmannus versum hunc ita emendavit:*

valete et memores scitis (vel nostis) pietatem patris.

Mihi haud recte eiusmodi carmina ad amussim grammaticam exigi et emendari videntur.

SACANAL v. 3 in aere est. Contuli SANSAE pro BANSAE scriptum in legis Bantinae textu Osco. Ex latinis inscriptionibus non habeo quod componam nisi C. II. 4731: *Imp. Caesar G. Iulius Verus Maximinus ... TRISVNICIAE POTES*. Descripsit Huebnerus; *quod in lapide, inquit, clare legitur TRISVNICIAE, videtur ortum esse ex B forma prope accedente ad cursivam*.

Ut OINVORSEI v. 19 quadrisyllabum esse *oin-u-orsei* demonstrarem, omnem horum elementorum *ov* ante vocalem positorum, *vo, uo, uv, uu, vu* varietatem persecutus, ostendisse videor, primum, i. e. aliquanto post senatusconsultum de Bacchanalibus, inde a saeculo septimo exeunte, sermonem latinum *uv* admisisse, sive ea *v* radicis erat, sive euphoniae causa posita; deinde binas vocales *uu*, ut *vacuus*, frequentasse, diutissime autem *vo* tenuisse rariusque *vu* toleravisse; grammaticos tantum, qui in declinatione et nominis et verbi inde ab Augusti temporibus analogiae se addixissent, confudisse tria illa genera, cum non perspectum habuissent, interesse aliquid, utrum duae *V* ad duas syllabas pertinerent, an unam. Exemplis, quibus rem illustravi, adde haec:

C. III. 2512. *Perpetuus, vivos*.

C. VI. 12649. *Mortuum me quoque funerari iussi rebus lugubris, quibus vivos paravi. Atimeto liberto, cuius dolo filiam amisi, restem et clavom*.

C. V. 2090. *Vivos, reliquum*. De enuntiatione *relicuum* cf. Lachmanni comm. in Lucretium p. 305. Est adiectivum verbale passivum, ut *irriguus, vacuus, mortuus*. Ibidem genet. *colende sepulture, summe*, subiunctivus *vellint*, quam scripturam vulgarem saepius observavi. Cf. VII. 80, Orell. 4844, 4786, 4358, 4427, 4775 (et *vellitis*), 6302.

C. VI. 5302. *Volnus, perpetuum*, ibidem *iuvenis* et *quoi*, quapropter primo p. C. n. saeculo titulum exaratum esse puto.

Herzog, Galliae Narbonensis historia App. p. 8. *duumvir(i) aram Volcano coeraverunt*. Pag. 107. *Volt(inia) in perpetuum(m)*.

C. VI. 3884 in laterculis militum annorum 197—98 p. C. est *Vols(iniis), Volcatius, Ingenuus*, sed etiam *Antiquus*.

C. III. 5295. *Volnus, suum*. Ibidem *nunqua, oc, migi* pro *nunquam, hoc, mihi* videtur extare.

Nusquam vero in *uo* et *vu* in una eademque inscriptione incidi.

Quintilianus inst. orat. I. 7. 26 neutro modo, neque scriptura VO neque VV, vocem, quam sentiant Romani, effici censet. Susplicari licet, medium quendam sonum indicari litteris VOV consociatis:

C. I. 1418 VIVOVS; scriptura ei cum I longa coniuncta novissima reipublicae tempora aut ineuntem Augusti aetatem testari videtur;

I. R. N. 7211. Q. Calidius Epaphroditus mag. Aug. VIVOVS... Magister Augustalis fuit.

IV.

De vi atque usu litterarum V, Y, I in quibusdam verbis nondum liquet, quamquam inde a Quintiliani usque ad nostram aetatem omnes fere grammatici de iis disseruerunt.

1) Constat Romanos paenultima suarum litterarum hanc formam V accepisse a colonis Graecis, eam vero, quam postea longe plurimi Graeci scribebant Y, septimo demum urbis saeculo ad vocabula quaedam graeca ceteroquin latine scribenda admisisse. Sed quae antiquae consuetudinis vestigia Ciceronis atque adeo Augusti aetate non in vulgi tantum scriptura, sed etiam in eruditissimorum hominum stilo remanserint, de ea re nondum consentiunt. Cum enim mense Octobri anni 1882 nummos Romanos musei Regii Berolinensis Dr. Iulio Friedlaender Directore summa cum humanitate ac liberalitate permittente perlustravi, valde miratus sum Iovem Olumpium, de quo grammatici nostri, nisi quid me fugit, prorsus tacent, in ipsius Augusti nummo appellari. Clarae enim minimeque dubiae sunt litterae IOVI OLV et elementi M fere dimidia pars. Evolvi igitur Eckhelii et Cohenii libros; ille, qui D. N. VI. p. 122 eundem nummum describere videtur, refert „IOVI OLYM.“, hic (*méd. impériales deuxième éd. I. n. 182*) „IOVI OLY ou OLYM“; imago autem adiuncta V, non Y testatur, eademque in nummo et in imagine est littera V vocabulorum IOVI et AVGVS(TVS).

Neque vero illa prorsus singularis scriptura habenda est. Nam AEGVPTO CAPTA *) in eiusdem Augusti nummis deprehenditur compluribus, in nullo AEGYPTO, quod tradunt Eckhel VI. 83 et Cohen *méd. imp. I. n. 1. sqq., médailles consulaires* p. 167 n. 79—82.**) Sed ne unus ego tantorum virorum auctoritati refragari viderer, circumspexi, numquos rectae lectionis patronos nanciscerer vidique verum iam vidisse de *Aegypto* Cavedonius in *Bullettino dell' istituto* 1853 p. 176 atque *Annali* 1850 p. 177 et Fabrettium in libro vere palmari *Raccolta numismatica del R. museo di antichità di Torino. Monete consolari 1876* n. 2927. Cavedonius in duobus musei Atestini exemplis AEGVPTO scribi testatur, ut SIBVLLA in nummis gentis Manliae. Quid quod idem imp. Caesar divi f. Augustus anno 744 urbis duobus obeliscis, utrique bis (C. VI. 701 et 702), inscribi iussit *Aegypto in potestatem populi Romani redacta*. Nummi, qui *Aegypto* in aversa, in adversa habent *Caesar cos. VI et cos. VII*, sunt igitur annorum 28 et 27 a. C.; sub finem imperii in monumento Ancyrano narrat: *Aegyptum*

*) Obiter moneo, in nummo C. Iulii Caesaris non cum Eckhelio VI. 8 et Mommseno, *Geschichte des röm. Münzwesens* p. 651 CAESAR · DIC · QVAR · COS · QVINQuies, sed QVINCTo vel QVINCTum legendum esse. Nam *quinquies* post consulatum, in eo *quinto* vel *quinctum* dicitur. In exemplo Berolinensi folium lauri tam prope abest a littera C, ut errare possis; sed acriter intuens dignoscis. Verum vidit etiam Cavedonius l. l. — Ne Augusti quidem temporibus obsoleverat; C. VI. 873 anno u. 725 Octavianus dicitur *cos. quinct. cos. design. sext.*, quem titulum Smetius exscripsit; de eo et de fastis consularibus Capitolinis ad annum 737 cf. Neue, II. p. 160 et supple Corssenii enarrationem I. 36.

**) Eckhel etiam in *Anfangsgründe der alten Numismatik* p. 64, Arneth, *Synopsis numorum Romanorum, qui in museo Caesareo Vindobonensi asservantur* 1842 (p. 42); IOVI OLYM Arneth p. 43. — Akerman, *a descriptive catalogue of rare and unedited Roman coins* 1834: p. 131 AEGYPTO; p. 135 IOVI OLYM or OLYN. Item alii multi.

imperio populi Romani adieci. — C. X. 3396 *Aegyptius* est cognomen veterani. Ephem. epigr. II 1035 in titulo bilingui: *Olumpi* genet., ubi et ΟΑΥΜΗΟΥ; C. III 630: *C. Iulius Olumpius*; VI 11576: *Octavia Olumphia*. Ergo etiam Iovem Olumpium toleratum esse credemus, cum praesertim Romani, ubi re vera sonum Graecum reddere studebant, etiam in nummis Y curiose expresserint; satis habeo Antonii denarios LEG XVIII LYBICAE (sic)*) et Hadriani nummos AEGYPTOS inscriptos memorasse.

2) Eadem fere aetate, qua Romani suam *u* vocalem vocali *v* graecae iam non satisfacere senserunt, in latinis quoque verbis pinguiorem sonum temperaverunt deduxeruntque *u* ad *i* in *pontufex pontifex* et quae sunt id genus, *legitimus, optumus, maxumus* superlativisque omnibus; vulgus autem vetustiora diutius retinebat. Cf. Schuchardt, *Vokalismus des Vulgärlateins* II. 224 cet., Corssen, *Aussprache* I. 334 cet., Neue, *Formenlehre* II. p. 103. Ut ex provinciis unam potissimum eligam, cuius tituli a grammaticis nondum satis excussi videntur, ex inscriptionibus Hispaniae C. II.**), quae *pontufex* habent, ea, quae numero 4931 notata est, annorum est ante C. 8-7; n. 2107 est anni 6; 2038 est annorum p. C. 14—29; 2039 est annorum 18—19 p. C.; 2040 est anni 23; 4712 est annorum 35/36; denique *pontufex* quidam n. 3361 aetate imperatoris Traiani vixit.

Ipse Traianus *optumus maxumusque princeps* vel *maxumus* dicitur n. 2010 p. C. 109—13 et n. 2054 anno 117; *optumus* C. III. 552; VI. 956; I. R. N. 5570; Herzog Gall. Narb. App. p. 27 cet. Imperator Maximinus, cui Gordianus successit, II. n. 4788 bis *Maximinus* vocatur, filius eius *Maxumus*, etiam 4816 (*Maxumus****).

3) Sed prae ceteris unum vocabulum antiquae sive vulgaris vocalis *u* tenax fuisse videtur. Qui enim aliquot milia inscriptionum percurrit, *optumus* multo saepius offendit, quam *pientissimus, piissimus, carissimus, desideratissimus, reverentissimus, sanctissimus* et si quae sunt aliae in epitaphiis frequentatae laudationes. Cum vero de ea re per se anceps videatur iudicium, nisi omnes locos enumeraveris, tempora titulorum comparaveris atque uniuscuiusque adiectivi exempla in *-umus* cum eiusdem adiectivi exemplis in *-imus* contuleris, id quod paene infiniti esset laboris, pauciores quasdam sufficere inscriptiones attulisse, quae utriusque generis superlativos praebent coniunctos. Hasce habete.

Herzog, Galliae Narbonensis historia. Appendix epigraphica p. 80. *L. Allius . . . flam(en) Aug(usti) . . . uxori piissimae . . . socru(i) optumae.* Herzog Aquis Sextiis descripsit.

C. X. 1493. *C. Octavio . . . aedili Augustali . . . marito carissimo . . . et patri optumo fecerunt.* Descripsit et recognovit Mommsenus Neapoli.

C. III. 563. *Thamyro Aug(usti) dispensatori nutricio optumo . . . Claudiae Aug. lib . . . filio dulcissim(o).* In Euboea insula Bursian descripsit.

*) Y in prima syllaba est C. VIII 7030 = Bull. 1874 p. 114: *Lybice* (genet.) et in cognomine C. II. 1630 et Annali 1845 p. 105.

**) Numeris in indice orthographico et grammatico C. II. p. 778 conscriptis adde sub *maxumus* 4673; sub *optumus* 501, 1728, 1733; sub *praestantissimus* 1179, ubi *T. Flavius Aug. libertus* ita praedicatur; *pientissimus* 2102; *piissimus* 1678; *pontufex* 2038, 4931.

***) Si in Sabatieri libro *Médailles contorniates* tabula XVI, quam Cohen VI. p. 585 sequitur, fide digna est, quinto p. C. n. saeculo Petronius Maximus MAXSVMVS appellatur. Convenit haec scriptura isti nummorum generi, si nummos dicere fas est; sed in exemplo Berolinensi quintum elementum, quamquam integrum non est, tamen *I* litterae similis quam *V* videtur. In nummis, quos ipse Petronius signandos curavit, MAXIMVS est, quemadmodum *pontif. maxim* et *pontifex maximus* iam quinque fere saeculis ante inscriptum fuit nummis Augusti.

Münch, *Münzsammlung des Kantons Aargau, Aarau 1871* p. 202 refert de nummo Gallieni, qui inscriptus sit GERMANICVS MAXVmus. Vide ne sit MAX·V.; cf. Hundt, *die antiken Münzen des hist. Vereins v. Oberbaiern. München 1871* p. 24.

C. X. 1401. Herculanei reperta est tabula aenea, quae duo senatusconsulta continebat, alterum annorum 44—46, alterum anni 56 p. C. Incisa videntur anno 56. In priore legitur *optumi principis, augustissimo, cruentissimo, inimicissimam*; in altero *clarissimis, ornatissimi*. Mommsenus: „Unicum exemplum ad nos pervenit, traditum apographis tribus“. De formis, de quibus nobis agitur, consentiunt.

C. VI. 3580. „Cippus in partibus adversa et aversa similiter inscriptus“. Marmorarius in adversa SVI dedit I longa, in aversa SVI, hic *armill.* notavit, illic *armillis* perscripsit, versus quoque aliter divisit et ligaturas ac nexus litterarum suo arbitrio adhibuit, sed in utraque parte pariliter dedit haec: *M. Blossio Pudenti ... vixit sanctissime. M. Blossius Olympicus patrono optumo fecit. Ab imp. Vespasiano Aug. donis militaribus donatus est.*

C. VI. 411. *Iovi optumo maximo Dolocheno T. Flavius Cosmus.* Videtur Flaviorum libertus fuisse. Descripsit utrumque Henzenus.

C. VI. 2188. *Q. Caecilio Feroxi kalatori sacerdoti Titialium Flavialium ... filio optumo ac reverentissimo.* Descripsit de Rossi, Henzenus contulit.

Herzog, Galliae Narb. historia. App. epigr. p. 8. *L. Aemilio ... adlecto in amplissimum ordinem ab imp. Caes. Hadriano Aug. L. Aemilius Moschus patrono optumo.* Herzog Narbone descripsit.

Annali dell' Inst. 1879 p. 172 = Ephem. epigraph. IV. p. 296. *C. Octavius C. l. Eucarpus patrono optumo et indulgentissimo.* Descripsit Henzenus ex ectypo dato ab Horatio Marucchi, hic ex tabula marmorea. De „paleografia assai corretta“, cum imago legentibus data non sit, iudicare non licet, nisi quod „forma aperta del P“ constat. Marrucchi censet „spettante ai primi tempi dell' era imperiale; a questa ben si addice l'uso della V nella parola optumo“. — Sed qui titulum

C. VI. 1773 posuit *uxori optumae et merito dilectissimae L. Turcius Secundus Asterius,* quarto post C. n. saeculo vixit. Henzenus Romae descripsit.

Haud minus certae lectionis at incertioris aetatis sunt hi tituli:

Marini, Atti I. p. 26. *Iovi optumo maximo P. Cornelius P. l. Trupo mesor prec.* Marinius, qui Romae descripsit, illud *prec* interpretatur *precepto*. Etiam *mesor* et *Trupo* vulgaria fuerunt.

C. V. 786. *Iovi optumo maximo L. Cantius Verus sacerdos.* Mommsenus Aquileiae contulit. C. VI. 384. *Iovi optumo maximo T. Annius Philippus.* Muratorius e schedis suis.

C. VI. 366. Henzenus dat: *Iovi optumo maximo ... Paezon Aquiliaes Bassillaes actor* refertque, Smetium in libro manuscripto et Manutium *optumo* habere, Smetii editionem ceterosque auctores *optimo*. Cum multo saepius recentiores elegantioresque quam antiquiores et rudiores formas verborum ab iis, qui descripserunt, inscriptionibus falso tribui viderim, in marmore *optumo* fuisse credo. 81. *Optumus maximus Caelus.* Sermo est vulgaris. Nam M. Modius Agatho *dedit pro salutem suam et Helpidis suae.* Solus Pighius, qui imaginem exhibet, *optumus; optimus* ceteri auctores.

C. VI. 82. *Domino .. optumo maximo* sc. Mithrae idem M. Modius Agatho dedicavit. De *optumo* et *maximo* auctores consentiunt.

C. VI. 14975. *Ti. Claudio Claudiano optumo et piissimo filio.* Inest I longa. Descripsit de Rossi Romae.

C. VI. 1880. *Pompeiae Piae optumae et sanctissim(ae) feminae T. Petronius Pompeius Chresimus.* Insunt apices. Henzenus Romae descripsit.

- C. VI. 7732. *Naevia C. f. Pontis ... Pater infelicissimus filiae optumae fecit.*
 C. VI. 9952. *P. Durdenus Eros fratri optumo patrono indulgentissimo optume de se merito.* Descripsit utrumque Henzenus Romae.
 C. VI. 14452. *Cartoriae Elpidi .. uxori optumae ... matri piissimae.* Elpistus filius Caesaris alicuius servus fuit. Oxonii Huebnerus contulit.
 C. VI. 14586. *Catiliae Paulinae ... matri optumae et indulgentissimae et Casinati patri dulcissimo.* Descripsit Henzenus.
 C. VIII. 4128. *Variae Rogatae rarissimae feminae maritus eius optumae uxori.* Descriptam a L. Reniero contulit Wilmanns.
 C. X. 325 ... *Apipho Helvii patri optumo, collibertae rarissimae sanctitatis.* Descripsit Gatta. 2754. *Munatiae Eatricatae uxori rarissimae sanctitatis optume meritaе M. Paccius Hermes fecit.* Descripsit Mommsenus.
 C. II. 261. *Iulia M. f. Marcella marito optumo filio piissimo.* Restituit Huebnerus; Azevedo *OPIVMO*. 501. *Aventinus Maximae lib. Amabilis Successae lib. marito optumo fecit.* In Lusitania Huebnerus descripsit.

Neglegenter *u* et *i* vocales in eodem titulo eodemque vocabulo bis adhibito rarius sunt permixtae; alterutra vocalis calamo vel scalpro excidisse videtur:

- C. X. 3903. Tiberii aetatis: *L. An(tistius Campanus) ... plurimis, maximis, utilissimi, periculosissima, honoratissimi, optimi et munificentissimi ... filius optumus.* Descripsit Mommsenus. VI. 1881. *L. Tossius parentibus optumis et filis dulcissimis et uxori optime de se meritaе.* Descripsit Henzenus Romae. Annali 1864 p. 204 ter *optumo*, semel *optimo*.
 C. V. 5127 *OPIVMT* pro *optumi*, ibidem *optimum, instructissimus*. Est alterius p. C. n. saeculi. Ut aliud vocabulum in *-timus* subiungam,
 C. X. 7852 *optumus* et *ultimus*, illud *u*, hoc *i* vocali scribitur. Est decretum L. Helvii Agrippae proconsulis Sardiniae anni p. C. 69. Recognovit Mommsenus. Ibi *optumi maximique principis, Iuventius Rixa vir ornatissimus, Caecilius Simplex vir clarissimus, ultimoque* adverbium.

Quaeret fortasse quispiam, num tantummodo superlativi in *-tumus* et *-simus*, quibus *maximus* vel *maximus* adnumerare licet, atque *-tumus* et *-timus*, an etiam in *-timus* et *-sumus* una occurrant. Mihi unum huiusmodi exemplum innotuisse fateor:

- C. II. 2697. *Iovi optimo et maxsumo sacrum Arronidaeci et Coliacini pro salute sibi et suis posuerunt.* Provenit ex Asturibus transmontanis. Hispani duo videntur descripsisse. Coniunctio, insolens ea quidem, redit C. V. 5500 *Iovi op. et m. et diis* cet.

Cur vero *optumus* diutius quam superlativos in *-sumus* lingua latina conservaverit nescio; num sibilans *i* vocali, muta *t* insequenti *u* magis sit affinis*), in medio relinquo; confidentius eam vocalium et consonarum necessitudinem extitisse affirmabo, si plures, e quibus idem efficiatur, inscriptiones legero, velut C. VI. 8517. *Epitynchanus filiae dulcissimae ... Obit natali suo intrans annum septimum.* Descripsit Panvinius.

- C. VI. 10230. *carissima, aestumatio* in laudatione Murdiae. Mommsenus: „inscriptionem ex orthographia vetusta *quom, meriteis, causeis, praecepteis, ceteris probeis, arduom* apparet scriptam esse non post Augustum“.

*) Cf. *Plisima plurima* Fest. ed. Mueller p. 204; „*Plusima* mg. A. Aug. Ita sane Varro de l. l. VII. p. 27. Malle *plouisuma*.“ Mihi *plisima* videtur defendi posse. — Nota *prosumum* C. I. 1291.

C. X. 3956, ut ad mutam *c* digrediar, *P. Ateius*, cuius patronus *ter Herculi decumam fecit*, meminit *Primae libertae suae carissimae*. Mommsenus dicit litteras esse optimas saeculi Augusti. 15056. *Claudiae Maximae . . . dimidium et duodecum(am) = 7/12*. Redeamus ad mutam *t*.

C. VI. 10229. *vicensimam ter, rarissimus, piensissima, maxima, plurimum; ter Septumae* nomen materterae in testamento Dasunii. Descripserunt multi viri docti. Aetatis Traiani inscriptio est.

Nominibus propriis, ut *Septumae*, in hoc rerum grammaticarum genere haud sine cautione nos uti posse bene scio; certius ni fallor argumentum, ut huic quaestioni finem faciam, extat in Publilii Optatiani Porfyrii carminibus, qui Constantini Magni tempore floruit et „omnium quotquot inveniri possunt fingique praestigias metricas superasse longe censendus est.“ Sic enim rectissime de eo iudicat Lucianus Mueller p. VI editionis suae, quae prodiit Lipsiae a. 1877. Is igitur artifex unum carmen ita composuit, ut a prima littera primi versus ad ultimam novissimi rubrica per oblicum descendens habeat scriptum *Constantine maxime imperator et invicte*; item a prima ultimi versus per oblicum rubrica ascendens usque ad ultimam primi versus adaeque habet scriptum *Aeternae pacis providentissimus custos*; in altero acrostichis est scriptum *Fortissimus imperator*, et quartae decimae litterae faciunt *Clementissimus rector*; in tertio autem a prima novissimi versus per amfractum ascendens et descendens usque ad paene ultimam noni versus habes heroicum versum, quo amicum alloquitur sic: *Omne genus metri tibi pangens optumè Basse*. Nam his fere verbis poetae artificia scholiasta enodavit. Cf. p. 36, 48, 50, 62.

V.

Compertum habetis, commilitones humanissimi, grammaticorum cum Alexandrinorum tum Romanorum aetate *ξηρίσεις καὶ λύσεις*, quaestiones et solutiones magno in honore fuisse. Pervelim equidem itinerum vestrorum hisce mensibus suscipiendorum opportunitate ad huius quaestionis solutionem aliquam indagandam utamini.

Novistis parietis exterioris curiae Brunsbergensis inscriptionem, auratis litteris exaratam:

HAEC DOMVS ODIIT, AMAT, PVNIT, DEFENDIT, HONORAT
DESIDIAM, STVDIVM, CRIMINA, IVRA, PROBOS.

Mense Martio huius anni virum cl. Maraun, oppidi nostri praefectum, interrogavi, numquid annales nostri actaque publica aut de poeta aut de eo traderent, qui titulum incidendum currasset; Theodoro Mommseno teste I. R. N. 2305 extare in museo Borbonico inter Pompeiana hanc inscriptionem

ODIT · AMAT · PVNIT · CONSERVAT
HONORAT
NEQVITIAS · LEGES · CRIMINA · IVRA
PROBOS

Litteras bonas esse; Mommsenum descripsisse neque ei inscriptionem falsam visam esse. Addidi me persuasum habere, eam viro alicui docto, qui renascentium litterarum aetate vixisset, deberi; lectionem *nequitias, leges* mihi magis genuinam videri, quam nostram. Postquam praefectus humanissime mihi respondit, adhuc nihil in actis de ea re repertum esse, se vero rem persecuturum, prodiit C. X., ubi p. 7* Mommsenus scripsit haec: „149* Neapoli in musco inter Pompeiana olim, iam inter titulos recentes“ (sequuntur verba supra relata). „Recens est, non falsa, recte ex ordine antiquarum exempta a Fiorello. Olim me decepit, ut item Th. Presselium *revue de philologie* 1(1845) p. 405. Henzen 7397 ex ed. 1. — In aula praetorii Pistoriensis versus hi depicti sunt a. 1507 mecum communicati a Zangemeistero: *Hic locus odit amat punit conservat honorat Nequitiam leges crimina iura probos*. Idem distichon

(sed 2 in. *nequitiem pacem*) Brixiae in palatio capitanei descripsit Laur. Schradaeus mon. Ital. (1592) f. 350^a. Circumspicite igitur, numquid amplius investigetis. Valet!

Adnotatio ad cap. II. p. 10, 3. Dativus pronominis *ieis* redit in senatusconsulto quodam C. VI. 877, ablativus in elogio C. Marii 1315; *eei* dat. sing. et nominat. plur. est C. X. 1453 in decreto Herculaniensi in honorem Remmiorum. Aetatis indicia in hoc sunt *veiverent, quei, vitieis, ambitionei, agei, municipii, perpetuum*. Ultra Augusti tempora vetustiores formae non tenuisse videntur.

Ne maior pars paginae tamquam ager incultus iaceat, addo haec:

1) Renier titulum n. 4027 = C. VIII. 9427, quem ipse descripsit, Wilmanns contulit:

SODALES FECERVNT DESVO sic interpretatur: *Felici, in pa(c)e, statori;*
 MONIMENTV · FELICI · IN · PAE · STATORI quid stator sibi velit, exponere supersedit.
 VIXSIT · ANOS · XXX · H · S · E · Mommsenus obiicit, titulum non esse aetatis

christianae. *Magis*, inquit, *crediderim, aut nomen domini hic latere aut officium quoddam nobis ignotum*. Mihi inpaestator videtur, qui *ἐμπαισιτικὴν τέχνην* exercet, i. e. qui imagines auro, argento, aeri incudit, quae ars imperatorum aetate floruit; collegio opificum adscriptus erat, cuius sodales ei monumentum fecerunt; *anos, monumentu, in-* sunt vulgaria, hoc ut *incomparabilis, compar* quam maxime frequentatum. Ne terminatio latina offensioni sit, cf. *architectus, architectari* cet.

2) In *lumphicis* C. I. 1238 scripturae *iei*, cum in graeca eiusdem lapidis inscriptione *νύμφαις* sit, ea videtur esse vis, ut *i* productam indicet; item in *suieis* I. 1460 et duobus aliis locis, et *sacrieis*, quae exempla affert Garruccius *Sylloge* I. p. 31. Eodem consilio videntur Augusti et Tiberii vel Claudii aetate *i* vulgarem et I longam consociasse, quamquam res ad liquidum nondum est perducta. Exemplis, quae olim ex I. R. N., C. I. III. V. VI. 1 paucissima collegeram, nuper ex C. VI. 2 plura accesserunt. Vocalis *u* praecedit in INGENVIIS C. I. 1492; in SVIIS VI. 6482, 9138, 13498 bis, 14435, *Bullettino* 1856 p. 157, pro quo C. V. 402 est SVIIS, ut possis etiam de enuntiatione *sujs, ingenujs* cogitare; consonans praecedit in TABVLIIS VI. 3970; FILIAE VI. 11590; PISSIMIIS VI. 6632; ANNIIS VI. 4594; ANNIIS paribus ductibus est X. 2040; VXORII III. 5065; POSTERIISQVE X. 2039; SVRIIS cogn. fem. nominat. VI. 5019; BIGIIS X. 7295; CONIVGII dat. sing. VI. 5439, X. 582; AMICIIS VI. 11464; PVBLICIIS VI. 1892; DEFVNCTIIS V. 4682; LIBERTII VI. 6381, LIBERTIIS V. 7623, LIBERTIIS VI. 9138; DIVII VI. 9005; QVII *Bull.* 1856 p. 157. Plerumque editores adscribunt *sic*; semel Mommsenus V. 4682 emendare proponit DEFVNCTIS. Res eo implicatur, quod non solum in iisdem inscriptionibus, sed etiam in iisdem verbis subinde alius I longae usus observatur, II autem, ubi unius *i* productae loco est, excepto uno illo FILIAE semper in terminationibus. Num forte novissimam syllabam quasi in duas diduxerunt? Sed expectemus necesse est multo plura exempla, priusquam de ea re existimemus.

Diversum est HII, HIIS, quod in Gaio Veronensi, in codice Theodosiano aliisque libris permultis confusioni pronominum *hic* et *is* debetur; in inscriptionibus ni fallor rarissime invenitur; legi in titulo Simonii Iuliani apud Borghesium *Oeuvres* III. 482 = V. 403 *nelle fedelissime schede del Metello* HII · QVI · Monet Beda *de orthographia* (Keil p. 274) similiterque Albinus (p. 303): *Hi pronomem plurale per unam i scribendum, his similiter per unam i*. Sed Simonium Borghesius circa Gallieni tempora vixisse censet.

3) C. VI. 10843 in „titulo satis detricto“ est AELIAE APIHELIAE ALVMNAE DVLCISSIMAE CHONIA FABIA. Cognomen Aeliae Henzenus cum Gudio restituit *Apheliae*; de *Cilonia* ut altero Fabiae nomine cogitavit Mommsenus. Malim CTHONIA litteris T et H ligatis. Aptissime enim *Χθονία* alumnam nominat *Αφελίαν*. In concursu aspiratarum superior amittit spiritum vi tenuis insequentis, quae priorem litterae *θ* partem efficit: *Pthongus* C. VI. 5011; *Melipthongus* VI. 2340, 5071, 6171; *Pthengis* *Annali* 1851 p. 154; *Apthonus* VI. 6256, 7724, 12240; *Apthonetus* V. 735, VIII. 940, *Herzog Gall. Narb. App.* p. 129; *Apthorus* VI. 7581 bis, 13019 cet.

Pag. 8 lin. 6 scribe: casus; p. 10 lin. 24: modo; p. 6 lin. 21: Renier. — Iustam I longam typheta non habet.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Iul. Marquardt, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Theologiae moralis partem generalem tradere perget, quam si forte ante exitum semestris hiberni absolverit, etiam de virtutibus divinis disseret quinques vel quater per hebd. h. XI.
- II. Repetitiones et disputationes de selectis doctrinae ethicae capitibus instituet semel per hebd. h. XI.
- III. Doctrina de patribus apostolicis ad finem perducta vitam et scripta apologetarum veterum enarrabit hora definienda.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Theologiam pastorem docebit sexies per hebd. hora IX.
- II. Exercitationes catecheticas moderabitur die Lunae et Iovis hora VIII.
- III. Selecta S. Thomae Aquinatis capita interpretari perget horis def.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quater per hebd. h. IX.
- II. Ius canonicum tradet bis per hebd. h. IX.
- III. De arte ecclesiastica disseret hora def.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

- I. Praemissa introductione doctrinam de Deo, eius essentia et attributis ac deinde de SS. Trinitate exhibebit quinques vel sexies per hebd. hora X.
- II. Grammaticam linguae Hebraicae docebit, addens exercitia interpretatoria ter per hebd. hora II.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Psalmos interpretabitur ter per hebd. h. VIII.
- II. S. Pauli utramque epistolam ad Corinthios exponet ter per hebd. h. VIII.
- III. Antiquitates sacras Hebraeorum dabit bis per hebd. horis def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Wilh. Killing, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Astronomiam popularem docebit ter quaterve per hebd. h. VIII.
- II. Fundamenta chemiae tradet bis per hebd. h. VIII.
- III. Calculum differentialem et integralem explicabit h. def.

Dr. Ios. Bender, P. P. O.

- I. Historiae medii aevi partes praecipuas tradet ter per hebd. h. XI.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae enarrabit bis per hebd. h. XI.
- III. De praecipuis literarum apud Germanos culturarum generibus disseret semel vel bis per hebd. h. XI.
- IV. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas, exponet h. d.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

- I. Aeschyli Prometheum vinctum bis hebdomade hora IX. interpretabitur.
- II. Exercitationes philologas de Lactantii institutionum divinarum libris bis hebdomade instituet.
- III. Antiquitates Graecorum et Romanorum ex inscriptionibus bis hebdomade hora IX. explicabit.

Dr. Ios. Krause.

- I. Psychologiam docebit ter per hebd. hora X.
- II. Metaphysicam tradet ter per hebd. hora X.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Killing**.

Certamen literarium et Praemia.

Renuntiatio iudiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiori inito.

Ordo Theologorum pro certamine literario has proposuerat quaestiones:

- I. Ex stipendio Regio: De incruentis Hebraeorum sacrificiis, imprimis ratione habita loci Mal. 1, 11, disputetur.
- II. Ex instituto Scheill-Busseano: Bertholdi Ratisponensis O. S. Fr. modus concionandi ex scriptis eius tum latinis tum vernaculis illustretur.

De priori quaestione opusculum traditum est his verbis Sancti Pauli (ad Hebr. 10, 1) inscriptum: „Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.“

Multa passim in commentatione inveniuntur, quae minus eam commendent. Imprimis vitio scriptori vertendum est, quod eloquio latino perquam incausato usus est et fontes, unde sententias suas hausit, nusquam fere indicavit. Quum vero quae de argumento in promptu erant satis diligenter congresserit, apte disposuerit et sufficienter enodaverit, praemium constitutum auctori Ordo Theologorum denegare noluit.

Rescissa schedula innotuit nomen:

Rudolphus Hoepfner, stud. theol.

De altera quaestione commentatio oblata est insignita verbis Ecclesiastici (1, 5): „Fons sapientiae verbum Dei.“

Quam qui conscripsit Bertholdi sermones typis hucusque mandatos diligenter perscrutatus rem suam apte digessit atque oratione expressit perspicua fere semper et satis facili. Sunt quidem quae desideres in diiudicandis ponderandisque monachi Ratisponensis sententiis et meritis, sunt quae fusius accuratiusque fuissent explicanda, quae tamen non eius momenti visa sunt Ordini, quin praemium constitutum commilitoni tribuendum esse iure meritoque censuerit.

Reclusa schedula prodiit nomen:

Valentinus Stuhmann, stud. theol.

Ordo Philosophorum ex instituto Regio hanc quaestionem proposuerat: Henrici IV. episcopi Warmiensi vita enarretur accuratiusque quam gravia atque infausta ipsius tempore cum Prussia tum Warmia perpassae sint, ex fontibus vernaculis illustretur.

In hac quaestione, quam maxime ea iuvenum viribus accommodata commendataque gravissimis rerum momentis, haud sine dolore Ordo fatetur neminem elaborasse.

